



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

116. A quo constituendi Vicarii perpetui.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

modi Vicariarum, quam utiliter leges; qui etiam ibi observat, fieri quandoque erectionem huiusmodi Vicariarum ad partem; hoc est sine aliqua provisione; quandoque etiam simul, hoc est, unà cum provisione, ita ut unico contextu erigatur & conferatur. De cetero non institui Vicariam perpetuam in Ecclesia curata & parochiali de jure, quando ea habet Rectorem, nisi illa parochialis sit annexa alicui Ecclesie, notat Corrad. *cit. c. 9. n. 8.* citans *c. exstirpanda, de preb. & Gloss. ibidem, v. perpetuo.*

*Questio 116. A quo constituendi Vicarii perpetui?*

**R**espondeo primò in genere: Vicarium perpetuum non constitui nisi vel per Papam, vel per Episcopum, vel per ipsum curatum seu principalem Rectorem. *Lott. l. 1. q. 20. n. 130.* Hæ enim sunt tres illæ personæ, à quibus omnino necesse est pendere, & quidem immediatè cujuscunque Ecclesie curam. *Hofst. in c. cum non ignoret, de preb.*

2. Respondeo secundo in particulari: Vicarios perpetuos in parochialibus unitis non ad liberam Ordinariorum deputationem, sed ad nominationem illorum, ad quos spectant Ecclesie unitæ vel beneficia, in quibus erigitur Vicaria, spectat. Sic expressè statuit Pius V. in Constitutione sua *cit. Barb. loc. cit. n. 45. Garc. p. 9. c. 2. n. 294.* atque ita nominatio ac veluti institutio Vicarii perpetui pertinet ad Rectorem principalem, v. g. qui parochiam suo beneficio aut prælaturæ unitam habet; præcedente tamen examine & consensu Episcopi sive Ordinarii. *Laym. ad rit. de off. Vicarii, n. 1.* Atque hæc constitutio Piana locum etiam habet, dum Vicariæ tales vacant in mense reservato, vel cadunt sub alia reservatione, ita ut non obstante tali reservatione possit dicta præsentatio seu nominatio, & deputatio fieri, modò deputati Vicarii expediant novam provisionem, & solvant annatam, ad quod tenebuntur, antequam ad possessionem admitti possint; de quo vide *Barb. loc. cit. & Garc. fusè. n. 304. & seq.*

*Questio 117. An in constituendo Vicario perpetuo non tantum nominatio Rectoris principalis, sed etiam consensus patroni intervenire debeat?*

**R**espondeo: si parochialis Ecclesia unita sit Prælaturæ seu beneficio electivo, in institutione Vicarii non est requirendus consensus Patroni; quia is per unionem, saltem, si cum illius consensu facta fuit, censetur amisisse jus præsentandi, nisi id specialiter sibi reservarit; *Laym. ad c. 3. de off. Vicar. n. 3.* citans *Gl. in idem caput. V. Episcopi. Lapum. in Clem. unic. de off. Vicar. & se ipsum Theolog. Moral. l. 3. tr. 2. c. 9. n. 9.* In aliis verò casibus v. g. dum propter amplitudinem parochiæ constituta est Capella, seu Ecclesia filialis principali subjecta, ita ut in ea Vicarius à principali Rectore cum Episcopi approbatione ponendus sit; requirendus est quoque patroni consensus, & simultanea præsentatio; hoc est, Vicarius perpetuus pro ista Capellâ præsentari debet Episcopo à Rectore principali & patrono simul; cum patrono competat præsentare ad titulum parochiæ à se fundatæ, dotatæ & edificatæ. *Laym. ibid. n. 4.* citans pro hoc *Innoc. & Butrio in cit. c. 3. Lapum & Zabarel. in cit.*

*Clem. unic.*

*Questio 118. Parochia annexa monasterio qualis instituendus Vicarius, temporalis, an perpetuus; secularis, an regularis?*

**R**espondeo ad primum: inspiciendum est, quid ante hac consuetum fuerit; & quid in literis factæ unionis seu incorporationis contineatur; quia status Ecclesie non facile immutandus est, argumento *c. sicut. de suppl. negl. præl.* ubi id notat *Andr. Butrio & c. Laym. ad cit. c. 8.* citans *Garc. p. 11. c. 2. n. 4. Barb. de potest. Epif. p. 3. alleg. 72. & 189.* Salvo tamen semper eo, quòd, ut dictum, Episcopus si Ecclesie expedire videatur, possit ordinare, ut Ecclesia deinceps per Vicarium perpetuum ordinetur, tamen antehac semper temporalem habuerit; excipiendo tamen iterum ab hoc ipso decreto *Trid.* casus paulò antè enumeratos.

2. Respondeo ad secundum: si Rector principalis sit secularis, v. g. Præpositus aut Capitulum Collegiatæ secularis, institui non potest regularis; si autem Rector principalis est regularis v. g. Abbas vel monasterium, cui unitur parochia, constitui potest regularis ad nutum amovibilis, nisi in literis unionis expressum sit, ut per Vicarium secularem administraretur parochia, vel nisi longissimo tempore per secularem administrata sit, præfertim si intitulatus fuerit. *Laym. loc. cit.*

*Questio 119. An, & qualiter Vicarius sibi substituere possit alium Vicarium?*

**R**espondeo primò: Vicarius, etiam perpetuus & intitulatus nequit sibi substituere alium Vicarium perpetuum. *c. clericos de offic. Vicar. Luca de paroch. d. 17. nu. 3. Azor l. 3. c. 6. q. 10. Castrop. de benef. d. 1. p. 8. n. 4. Laym. ad c. 4. de off. Vicar. n. 1.* dicens de hac re neminem dubitare; nam nequidem ipse parochus seu Rector ordinarius Ecclesie talem Vicarium instituere potest; *Laym. ibid.* cumque idem titulus Vicariæ spectare simul nequeat ad duos, non magis Vicarius perpetuus Vicarium perpetuum, sibi deligere potest, quam Rector alium secum Rectorem: quòd autem procurator ad litem vel inceprum negotium possit sibi substituere alium, inde est, ait *Azor loc. cit.* quòd is tunc evadat quasi Dominus litis vel negotii.

2. Respondeo secundo: potest nihilominus Vicarius perpetuus suo proprio jure ex justâ causâ substituere sibi Vicarium temporalem ad breve tempus. *Barb. Castrop. Laym. loc. cit.* cum communi, non obstante quòd industria Vicarii ad sui constitutionem delecta sit, & in propria persona residere teneatur, ut *ibid.* *Barb.* quin imò poterit id tradendo illi totum officium seu administrationem suam. *Laym. loc. cit.* citans *Hofst. in cit. c. 4. n. 5. Butrio & Zabarel.* cum Vicarius perpetuus non sit delegatus, sed ordinariam curam & jurisdictionem habeat; adeoque non minùs id possit, quam parochi aliique curati non Vicarii. *Castrop. loc. cit.* *Laym.* citans *Innoc.* Item poterit id absque eo, quòd requirendus sit consensus patroni, etiam si beneficium esset juris patronatûs laicorum; *Castrop. loc. cit. n. 2.* citans *Lamb. l. 3. q. 5. a. 10. n. 1. & seq.* Porrò tempus breve specificat *Castrop. ibid.* nempe 15. dierum. *Azor loc. cit.* unam alteramve hebdomadam; qui etiam addit, dummodo rarò substituat. *Laym.* ad duos menses extendit; dum Vicarius perpetuus à parochiali abesse cogitur; quin etiam, si præsens est, infirmitate tamen detinetur,

ait